



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De beneficiis Dei, 18

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

cognovit? Quis revelabit speciem indumenti ejus? & gyrum dentium ejus quis agnoscat?

5. En abscondit sagittas suas in pharetra, & laqueos suos abscondit sub specie lucis; & hoc difficilius perpenditur: nisi à te Domine spes nostra lumen assumamus, ut videamus omnia. Nam non solum in carnis operibus, quæ de facili cognoscuntur; nec tantum in ipsis vitiis; sed in ipsis etiam spiritualibus exercitiis, laqueos abscondit subtiles: & sub virtutum colore ipsa vitia induit, & transmutat se in Angelum lucis. Hæc & multa alia nititur contra nos ipse filius Be-lial, ipse Sathan, Domine Deus noster. Et nunc ut leo, nunc ut draco, manifeste & occulte, intus & extra, die ac nocte insidiatur, ut rapiat animas nostras: Et tu eripe nos Domine, qui salvas sperantes in te; ut ipse de nobis doleat, & tu lauderis in nobis, Domine Deus noster.

C A P V T X V I I I .

De beneficiis Dei.

1. **E**Go autem filius ancillæ tuæ, qui me commendavi manui tuæ, jam his meis pauperculis confessionibus confitear tibi, liberator meus, toto corde meo; & recolam ad mentem meam omnia bona, quæ fecisti mihi à juventute mea, in omni vita mea. Scio namque quod ingratitude multum tibi displiceat: quæ est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans & urens omne bonum; obstruens fontem divinæ miseri-

miseriçordiæ tuæ super hominem ; qua & mortua jam non moriuntur, & viva jam opera moriuntur, & ultra non adipiscuntur. Et ego Domine gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi, liberator meus, quoniam liberaſti me. Quoties jam me abſorbuerat ille draco, & tu Domine ab ore ejus extraxiſti me.

2. Quoties ego peccavi, & ipſe paratus fuit deglutire me ; ſed tu Domine Deus meus defendiſti me. Cum contra te inique agebam, cum tua mandata frangebam, ſtabat ipſe paratus ut me raperet ad infernum, ſed tu prohibebas. Ego te offendebam, & tu me defendebas. Ego te non timebam, & tu me custodiebas. A te recedebam, & inimico meo me exhibebam : tu ipſum ne me acciperet, deterrebas. Hæc mihi tu, Domine Deus meus, beneficia conferebas, & ego miſer non cognoſcebam. Sic enim me multoties à faucibus diaboli liberaſti, de ore leonis eripuisti, & ab inferno, licet neſcientem, multis vicibus reduxiſti. Descendi enim uſque ad portas inferni, & ne illuc intrarem, tu me tenuiſti.

3. Appropinquabam uſque ad portas mortis, & ne me ipſæ caperent, tu feciſti. De morte etiam corporis ſapius eruiſti me, Saluator meus, cum graves morbi tenerent me ; cum fui in periculis multis per mare, per terras ; ab igne & gladio, & ab omni periculo liberans, ſemper mihi aſtans, & miſericorditer ſalvans. Sciebas tu quidem, Domine, quia ſi tunc mors me occuparet, infernus animam meam ſuſcepisset, & perpetuo

damnatus fuisset. Sed tua misericordia & tua gratia prævenit me, eripiens me de morte corporis, & de morte animæ, Domine Deus meus. Hæc & multa mihi tua alia beneficia exhibuisti, & ego eram cæcus, & non cognovi, donec illuminasti me. Nunc igitur lux animæ meæ, Domine Deus meus, vita mea, per quam vivo; lumen oculorum meorum, per quod video; en illuminasti me, & cognosco te: quia vivo per te, & gratias ago tibi, licet viles & exiles, & impares beneficiis tuis, quales habet mea fragilitas, offero. Quoniam tu es solus Deus meus, creator meus benignus, qui amas nostras animas, & nihil odisti eorum quæ fecisti. En ego primus inter peccatores quos salvasti, ut exemplum aliis tribuam benignissimæ pietatis tuæ.

4. Confitear tibi beneficia tua magna, quoniam eripuisti me de inferno inferiori, semel, & secundo, & tertio, & centies, & millies; & ego semper ad infernum tendebam, & tu me semper reducebas, & juste millies damnasses me, si voluisses. Noluisti, quia amas animas, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Domine Deus meus, multæ misericordiæ in omnibus vis tuis. Nunc ergo video hæc, Domine Deus meus, & cognosco per lumen tuum, & deficit anima mea in misericordia tua magna, quæ est super me: quoniam eripuisti animam meam ex inferno inferiori, & me ad vitam reduxisti. Totus enim eram in morte, totum me resuscitasti. Tuum igitur sit totum
id,

id, quod vivo : & totus totum me tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea dulcis : quoniam totum me liberaſti, ut totum me poſſideres : totum me refeciſti, ut totum me rehaberēs. Diligam te igitur, Domine, virtus mea ; diligam te, ineffabilis exultatio mea : & vivam jam non mihi, ſed tibi. Tota vita mea, quæ perierat in miſeria mea, reſuſcitata eſt in miſericordia tua, qui eſ Deus miſericors & miſerator, & multæ miſericordiæ in millia his, qui diligunt nomen tuum.

5. Idcirco, Domine Deus meus, ſanctificator meus, juſſiſti in lege tua, ut diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea, & totis viribus meis, & etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis & momentis, quibus fruor bonis miſericordiæ tuæ; quoniam ſemper perirem, niſi quia ſemper regis me ; ſemper morerer, niſi quia ſemper me vivificas ; & omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præſtas. Sicut ergo nulla hora eſt vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar : ſic nullum debet eſſe momentum, quo te non habeam ante oculos, in mea memoria ; & te non diligam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc valeo, niſi tu dederis mihi : cujus eſt omne donum bonum, & omne datum optimum, descendens à Patre luminum ; apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciffitudinis obumbratio. Non enim eſt volentis, neque currentis, ſed tui miſerentis,

rentis, ut diligam te. Tuum est Domine hoc donum, cuius est omne bonum. Iubes te diligere; da quod iubes, & iube quod vis.

C A P V T X I X.

De fervore dilectionis vel charitatis.

1. **A** Mo te Deus meus, magisque semper amare cupio; quia tu es revera omni melle dulcior, omni lacte nutritior, & omni luce clarior. Idcirco super omne aurum & argentum, & lapidem preciosum es mihi charior. Displicebat enim mihi quicquid agebam in saculo, præ dulcedine tua, & decore domus tuæ, quam dilexi. O ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris! O amor qui semper ferves, & nunquam tepescis, accende me! Accendar (inquam) totus à te, ut totus diligam te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Diligam te Domine, quoniam tu prior dilexisti me. Et unde mihi verbum, ut explicem signa dilectionis tuæ maximæ erga me, propter innumera beneficia tua, quibus à principio educaisti me?

2. Post beneficium nempe creationis, quando in principio de nihilo ad imaginem tuam creasti me: honorificans & exaltans me inter eas creaturas, quas fecisti, & nobilitans lumine vultus tui, quo signasti superliminare cordis mei, quo ab insensibilibus pariter & sensibilibus brutis discrevisti me, & paulo minus ab Angelis minuisti. Parum & hoc fuit ante conspectum divinitatis tuæ. Quoniam quotidianis & singularibus maximisque